



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 25. Urbani Papæ obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

te interdicto ecclesiastico, festum Corporis Christi publice celebrari possit, eisque qui S. Eucharistiam, cum ad infirmos deferretur, comitentur, centum dierum indulgentias impertivit.

§. XXV.

Mors Urbani Pontificis.

Ineunte mense Augusto graviter ægrotare cæperat, & venenum sibi Hist. Conc. Pisan. propinatum fuisse, a pluribus creditum est. Theodoricus Niemus, qui huic Papæ a latere erat, Urbanum *sumpto veneno* decessisse scribit. Quæ verba Infantius interpretatur, Urbanum seipsum veneno occidisse. Nos hisce fabulis non immoramur; certum enim est, quod morbo circa medium Septembris magis magisque ingravescente, & per viginti octo dies continuos perdurante, die 15. Octobris 1389. obierit, postquam Sedem undecim annis & octo diebus, vitam autem annis septuaginta duobus servasset. Sepultus in Basilica S. Petri

in facello S. Andreae. Cardinales, qui Romæ erant, illico obedientiæ suæ Principibus significant Pontificis obitum, paucis admodum lugentibus, fere omnibus applaudentibus, si propinquos excipias, atque fautores, præcipue autem tanto Pontifice indignum Nepotem Pregnanum, qui postea ab inimicis suis captus, omnium bonorum suorum jactura libertatem redimere coactus est, tandem vero unacum matre, liberis, & uxore Venetias navigans, ut ibidem asylum reperiret, Adriatici maris fluctibus absorptus misere periit.

Extincto hoc Pontifice non modica simul tollendi quoque schismatis spes affulgebat; nec vana prorsus, si utriusque obedientiæ Cardinales vel Clementem confirmare, vel novum Papam eligere, communicatis consiliis allaborassent. Postquam die 30. Octobris Carolus VI. Galliarum Rex Avenione Clementem Papam invisurus advenerat, ab eoque pro Joanne Talaro Lugdunensi Archiepiscopo non modo purpuram Cardi-

Cardi-

Cardinalitiam, sed etiam pro se facultatem pauperes regni sui Clericos ad quatuor Episcopatus, ac septingenta quinquaginta beneficia nominandi obtinisset, Cardinales Avenionenses Regem induxerunt, ut Imperatori, aliisque Urbani obedientiæ olim addictis Principibus scriberet, & Cardinales Italiae moneret, ne novi Pontificis electionem præcipitarent, sed potius cum reliquis prævie sua conferrent consilia. Sed hæc quoque cautela omni penitus successu caruit.

§. XXVI.

Bonifacius IX. in Urbani VI. locum eligitur.

Quatuordecim Cardinales Itali Romæ morantes, ex quibus non nulli Papatum ambiebant, absque ulteriori mora, nec expectato aliorum consilio, quo a tam præcipiti proposito potuissent absterreri, electionem tumultuario consilio accelerant, veriti, ne alius natione Gallus eisdem obtruderetur. Itaque die 2.
h 5 Novem-

Theod. Uri.

l. 3. dist. 7.

Ciaccon. in

Thoma.

Card.

Niem. l. 2. de

fchi/m. c. 39.